1526. Ex Ms. Arch: Stan: Aug: Regis

# Credentia
## ad Stephanum de Bator Palatinum Hungariæ, ac eodem exemplo ad alios Dominos.

24

Sigismundus I. Rex Poloniæ.

Spectabilis et magnifice Sincere Nobis dilecte. Mittimus istuc ad Conventum istius Regni in Alba Regali institutum Reverendum Dominum Andream Episcopum Premisliensem, et Magnificum Stanislaum de Sprowa Castellanum Bicensem Ect, quibus commisimus visere tuam Magnificentiam, et nonnulla illi Nostro nomine referre. Itaque postulamus ab illa, ut ipsis Oratoribus nostris fidem adhibeat, et ita se erga nos et Patriam suam exhibeat, sicuti de illa spem indubiam habemus, quod illi gratia nostra et favore Nostro referre curabimus. Quam feliciter valere optamus. Ect.